



Zelandia

<https://hdl.handle.net/1874/349812>



ZELANDIA inferioris Germaniae pars magno circumdata Oceano plurimis insulis est determinata. Terra est ubi admodum gleba, populosa et ob portuum commoditatem navigationi celebris. Habet autem praeter ceteras tres insulas insignes Walachiam Scaldiam et Suidbeuere-landiam, cuius non minimam partem nostra temporis late primum an. 1370 deinde et trigesimo secundo flante Co-ro vento magno impetu mare ruptis aggeribus occupavit. Sublata est tunc in unum atque demersa est. Nort Beuere-landia insula, cum pagis villis et oppido Cortenia. Inquiritur omnes he insule partim aggeribus partim litoribus et collibus harenosis et omnes alie quoque que Oceano alluuntur. Quarum incolis continua deluti pugna et collectatio est cum mari seniente. Et enim plurimoloca conspiciunt licet iam aggeribus cincla, longae a maris ortu et refluxu dispersa, quae olim mari fuerunt contigua, ita etiam aliquando fore spes est, ut loca iam auulsa tandem aggeribus denovo cingantur, et quasi postlimino ab incolis reuolui-centur. Notantur uero aggeres punctis deluti in lineolas partim per insulas deducit fas.

Blank
ZEE-3

delitijs totius Zelandiae habebatur, sed Anno 1532. insula integra ita mari absorpta est, vt eius praeter turres nonnullas, quae ex vndis prominent, nulla sint reliqua vestigia. Inter hanc & Suytbeuelandiam interiacet altera quam *Wolfer-dijck* vocant, insula, duos saltem pagos habens. Walachria praeterea insula est, vel ab eius cultore sic denominata, vel à Gallis, qui hanc oram frequentabant, qui Belgica voce *Walen* vocantur, aut ab ea Britanniae parte, in qua versus Occidentem consistunt Walli, apud Anglos praecipue nobilitatis viri à Gallis etiam oriundi. Insula haec ab Ortu Brabantiae obuersa est, à Meridie Flandriae, ab Aquilone Hollandiae, ab Occasu quinoctiali, Britanniae, in quam breuissimus est traiectus, & à qua primum in Oceanum ingressus quocunque terrarum visum sit, navigationis cursum dirigere. Praebet enim Arnemuda, Metelliburgi municipium tutissimum, omnibus portum, fidamque nauium stationem, nam hic praecipue classis, quamlibet numerosa instruitur, in quemcunque Oceani tractu velificatio perficitur. Haec tria insignia continet oppida, Metelliburgum, Campoferiam, quam *ter Veer* indigenae vocant, & Vlissingam. Atque haec omnes Zelandiae insulae cum nonnullis alijs Comitatum constituunt, ac vrbes menibus cinctas octo in vniuersum, vicos autem pagofuae innumeros ferè habent. De aëris autem zelandici clementia haud multa polliceri ausim (inquit Lemnius) vt qui in nonnullis partibus sit paulò asperior, & quam vicinarum gentium minus salubris, praesertim aestate, ob paludum & stagnorum graues halitus, & quod regio arboribus minus confita. Hoc tamen habet commodi, quod contagioni ac pestiferis morbis minus sit obnoxius, ac serius inficiatur, at insectis immaniter in corpora hominum grafatur. Terra ipsa fecunda ac frugifera: nam praeter insignes atque immensum fastigiatas lauros, perpolitissimam maturitate baccis onustas, quae Brabantis denegatae sunt: praeter efficaces ac salubres herbas, cum medendis morbis, tum esui accommodas, praeter sal candidissimum, quod ciuium industria conficitur, praeter rubiam, garufam Gallis, *Meedecrape* indigenis nominatam, ad ornandis pannis, ne color deflorescat, cumque intimè concipiunt, necessariam, praeter triticum quonuscumque gentium candidius, aut magis ponderosum, praeter tot salifamenta, ac vento induratas sapersas, simul ac immensam piscium copiam, quae quotidie recens aduecta, in omnes Europae partes distribuitur, exhibet. Prata ac pasua habet latissima, pecora fecundissima. Ferinas vix alias habent praeter cuniculos. Ea autem hic est rerum vicissitudo, vt minimo anno oru decursu, ac temporis intervallo, magna incrementa haec regio suscipiat, rursus maximam iacturam ac detrimenta patiatur. Nec vlla res vices rerum humanarum, aut varios instabileque motus melius demonstrat, quam zelandiae insulae, qua-

rum prosperi successus ac res secundae aestuario fluxu ac refluxu, nunc huc, nunc illuc voluntur. Nulla est apud vllas nationes a nonna, aut res frumentaria etiam lectissimi tritici vberior, ita vt bina iugera Zelandica plus emolumentum cultori, colonoue afferant, quam quatuor Brabantica. Itaque pro uerbio Belgico exoptantur Brabantici aëris clementia, eiusque soli stabilitas, Zelandici verò fundi redditus, Vulgari sermone *Brabantische locht, Zeeusche renten*. Minera nulla habet ferè. Verum ex lacubus, quas *Moer* indigenae vocant, eruuntur glebae bituminosae, quae accensa, vt naphtha ardent, non sine odore tetro ac viroso. Apud Brabantos quoque eruitur ista materies, sed quod regio minus saluginosa sit, atque à mari remotior mitius olet. Illi *Thurf* has glebas indigitant, maritimi verò *Darri*. Quarum tanta vis est, vbi frequentius his aedes incalescunt, vt ferrum, cuprum, stannum, argentum, atque aënea quaeque deurat, omniaque in aëdibus praeter aurum remedio difficiat. Haec enim globae mephitium exhalant, atque grauolentiam adeò, vt assidentes syncopi, atque animi deliquio lubinde periclitentur: nec minori incommodo efficiunt carbones cum fossiles, tum factitij, nisi illos dum ignescunt sale conspergas, tali siquidem remedio discutitur virus infestum cerebrum. Haec autem glebae in cineres redactae, saloque perfusae materiam ac fomentum olim praebant incolis conficiendi salis, sed is modus iam in desuetudinem venit. Sunt sitae haec Insulae ea parte Oceani, quae Zephyrum ac Lebeccium ventos respicit, ac Australi vt plurimum perflatur. Terminatur à Septentrione nonnullis sinibus maris, vt pote *Flackee*, qui eos ab Hollandis determinant, à Meridie sinistro Scaldis fluuij ostio (quod *Canem* seu *Hont* appellant, à latratu) alluuntur, quo à Flandria dirimuntur. Orientale latus eiusdem Scaldis fluuij ostium dextrum lambit, quod retento sibi proprio nomine à Brabantis eos separat. Occidentalem verò plagam, quae eadem & Angliæ obuertitur Oceanus magnus rodit. Locus eius Australissimus 29. minuto 52. grad. subijcitur, Borealisissimus autem eiusdem gradus quinquagesimo minuto subest, ab Occidentis parte initium facit sub longitudinis vigesimi quinti gradus, minuto decimo septimo. At qua in Orientem vergit maxime 10. minutum 27. gradus longitudinis attingit. Est itaque post principium 9. climatis, ad eiusdem medium vsque sub parallelo per Rheni ostia, qui est vigesimus, ac diem habet prolixorem horarum 16. Verum cum latior sit quam longior, si ad milliaria referas eius mensuram, habebit in latitudine milliaria Italica 79. Germanica verò 19.

In longitudine autem Italica 34.

Germanica autem
ten 8.

Zelandia vnde nomen traxerit, haud equidem obscurum fuerit, vel illi qui praeter eius picturam viderit nihil, quippe cum salo cingatur vnde quaque. Ortum tamen eius nonnulli à Danis dederunt, quos ferunt occupatam à se Walachriam, Zelandiam appellasse, mutato nomine ab insula quadam celebri sui, hoc est, Cymbrici maris, deinceps autem & reliquae huic circumiacentes & viciniae insulae eodem nomine complexi ceperunt. Verum parum reulerit vtra harum alteri nomen suum communicarit, cum palam sit omnibus, Zelandias vocari, tanquam terras marinas, seu in mari salone sitas. Huius autem nostrae Zelandiae cum complures sint Insulae, suis quaque nominibus insignitae, easque vix possibile sit separatim describere, eò quod varijs inundationibus obnoxiae vi tempestatum, cum locum, tum formam, tum ipsos saepenumero incolae mutant: nos eo quo commodissime fieri poterit, ordine describemus. Quindecim itaque Insulas distincta haec regio est, quarum subinde aliae maris inundationibus & sauitia operiuntur salo, aliae ex vndis protrudentes capita paulatim eriguntur, ac accolarum labore assiduo & industria, aggeribus circumdari, habitarique incipiunt. Verum ex, quoniam plerumque paruae sunt, ac parum diu subsistunt, vix nomè merentur. Quare his omisis praecipuas enumerabimus, quae septem sunt, reliquis firmiores magisque cultae, quarum si prius & vetustos & recentes colonos considerauerimus, eas deinceps diuidemus. De generis autem huius origine *Olaus Gothus* & alij plures eodem plane modo tradunt Cymbros fuisse: quare sic de eadem differit *Leuinus Lemnius*. Constas fama est atque indigenis per manus tradita, à Gothis ac Danis hanc gentem profuixisse, praesertim ab illa Insula Cymbrica, quae in Dania *Zieladix* nomine inscripta est, in qua spectatur celeberrimū Emporium *Hafnia*, vulgari nomine *Coopmans-hauen*, à portu negotiatoribus frequentato, qui hanc terram cultoribus vacuam, oppositis erectisque aggerum molibus, in insulas redegerunt, atque extractis primū casis, minutisque atque angustis tiguris, sementi ac pascuis reddidit idoneum. Erat enim *Cælaris* aetate, magna terrae huius pars, quae non aliud quam *Batauiæ* appendix est, inculta, nec vnquam ad serendi vsum vomere profusa, aut fossione subacta, sed aestuarijs ac paludibus impedita. *Martiani* dicti sunt antiquitus, ex vulgata alloquendi consuetudine ac copellatione, qua populares atque indigenae inter se sunt vsi. *Maer* enim in eorū lingua ac populari appellatione, omnium actionum, contrauctuum, periculorum, ac totius voluntatis, consilij, laboris socium comitemque sonat, omniumque rerum quas inter se exercent, participem ac consortem. Atque hoc etiā eos nomine *Tacitus* appellat, quum inquit: *Mattiacorum* gens *Batauis* similes, nisi quod ipsi terrae solo acrius animantur. Eius populi hodie inquilini ac indigenae robusti, statura corporis liberali, feroces, viribus, ingenio, solertia, versutis, calliditate, fallacijs, captationibus, negotiandi peritia, ac conquirendi industria *Batauis* superiores, mercaturae partim, agriculturae partim. Maior verò pars rei nauticae ac piscationibus dediti, qui ea sunt morum ac vitae integritate, vt nunquam inter illos vllae cotentiones, iurgia, similitates, dissidia exoriantur, nec vnquam inter se lites contestantur, aut iure cum aequalibus contendunt, ita vt magistratus nunquam, nisi in vrgentissimis causis se horum contouersijs interponat. In re domestica ac familiari omnia elegantia, nitida, exposita, mensa frugalis, nec vnquam prodigaliter sumptuosa. In mercatura exercenda nemo non ciuium solers atque industrius, lucrauidus, ad rem attentus, in tenuiores tamen atque inquilinos inopia pressos, liberalis ac beneficus, in caeteros hospitalis, blandus, comis, affabilis, candidus, atque ab omni simulatione ac fucatae speciei nulli non obuius atque expositus. Nauticae rei his vix quisquam magis peritus. Qui piscaturae operam dant, nullum inter suos gregales tolerant mendicem, ac probro ducunt, si quis ex cōsociatis stipem emendicet, aut quid aliud eblandiatur, quin ipsa piscatoria societas, & qui inter illos est primarius, quem *Decanum* vocant, singulis quibus res domi angustior est & contra dior, quam vt familiam alant, ac sustentent, ex communi arario suum dimensum constituit: ita vt non desit quo famem frugaliter ac liberaliter solentur. Quum autem tam nu-

merosa multitudo piscatu se exerceat, ac paulò longius in Oceanum progressa, victum in mari venetur: si quando parca ac malignè piscari contingat, nullus vnquam horū se vexat aut ex cruciat, nec cuiquam malè precatur, sed omnia placide ac sedatè perfert, meliorum spe atque fiducia. Quo ad reliqua, ingenia sortiuntur haud stupida obtusae, verum faceta, vrbana, festiua, pleraque ex aurae marinae afflatu salta & vitiosa quadam dicacitate contaminata. Zelandi praeterea commensationibus ac poculis aliquanto plus dediti sunt. Regionis autem huius insulas Orientales ab Occidentalibus discriminat *Scaldis* fluuius, quarū quae ad Ortū spectant *Beoesterfehelt* indigenis vocantur, quae verò Austro ac Flandriae obuersae sunt *Beuvesterfehelt*, quasi superiorē ac inferiorē, aut citeriorē, atque vltiorē dicas, quarū aliae cis *Scaldā*, aliae trans *Scaldam* consistunt. Designatur autem his nominibus duae insignes quae sunt, quibus praetoria etiam dignitas ac dictatura potestas attributa est, sic vt harum Praefectis sit ius & fas tota paucissima regione (praeter ciuitatum municipia, quae consulum tutelae ac praesidio subfunt) regio dominatu facinorosos coercere: Vagos ac palantes corripere, nebulones ac mendicos validos, sicarios, oppressores, in vincula coniungere, ac tormentis exploratos in iudicio capitis arcescere, quò omnia passim quietata sint ac pacata, & ne quis iter ingressus aliquid hostile metuat. Orientales itaque insulae praecipuae quidē tres sunt: quarum prima *Tolæ* seu *Toletæ* nomen est, à vctigali seu portorii nomen sortita, quem indigenae *Tol* nominant. Haec Brabantiae contermiua, exiguo tantum freta discretata est, huic coniunctus est agger *Martianus*, vulgò *Martins-dijck* principis Aurasicae municipium, locus amoenus atque arboribus vndique confusus, in quibus maxima alitum praesertim ardearū copia nidulatur. Huic ad Circium obuersa est altera, cui *Duuelandia* nomē est, à columbarum frequentia. Haec oppidum habet nullum mœnibus cinctum, pagos autem ac nobilium dominia nonnulla complectitur. Huic rursus ad *Faonios* obuertitur *Scaldia* seu *Scourven* insula, nomine sumpto à Scaldi fluuij, quo parte sua *Austrina* alluitur, cuiusque ibidem cataractae sunt, quibus Oceano miscetur. Habet haec in circuitu milliaria septē, olim multo maior extitit, at hodie maris sauitia diminuta, hac quantitate contenta est: tamque olim propinqua fuit *Nortbeuelandicae* insulae, vt vtrinque in littoribus constituti colloquentes facillimè exaudiri ac percipi quirent, iam spatiofo mari diuelluntur, tantum huic decessit, cum altera salo penitus mergeretur. Continet haec ciuitates duas conspicuas, quarū altera *Brauwershauen*, in insulae parte septentrionali posita est, populosa ac piscationibus praediuibus frequens: altera *Zirizea* in *Austrina* insulae parte, huic propemodum opposita, quae sola ferè ex omnibus Zelandiae vrbibus aquae dulcis puteos habet. Hi olim numerosa classe instructa, non solum onerarijs nauibus, sed rostratis, & quas *Holcades* nominant, praeter *Hispaniarum* ac *Mauritaniae* longinquas etiam, versus Septentrionem, oras frequentabant, *Noruegiam*, *Daniam*, *Riualiam*, *Rigam*, *Gedanum*, *Stochoniam*, *Suetiae*, quae nauigatio modò *Amsterodamum* translata est, ciuitate hac rebus omnibus ad commoditatem atque vsum vitae necessarijs cumulatè fruente, ac non minus affluente, quam cum exteris nationibus esset celebris. Sunt & aliae Orientalis huius partis insulae, sed quae propter exiguitatem vix nomen mereant, cuiusmodi sunt *Zijp*, *Philips-land*, *Stauenisse* &c. Quae sunt verò Occidentalis quam *Beuvesterfehelt* vocant, insulae sunt, prima quidem ac omnium maxima *Suytbeuelandia*, sic dicta, quod ante aggeres extractos haud firma satis itabilis se, sed tremebunda videretur, cuius solum Austro oppositū, spaciocissimo amoenissimoque versus Flandriae ac Brabantiae oras tractu exportata, tamen paucis ab hinc annis maxima iactura passa, dimidio iam sit angustior. Ab hac auulla est ciuitas non ignobilis *Romerswalla*, quam nullis excultam agris, nullis exornata pomerijs Oceanus vndique alluit, ita vt vnica salis negotiatione subsistat. Alterum huius insulae oppidum *Borfele*, eadem tempestate penitus oppressum, mari tegitur, quae illuuijs Anno Christi 1532. Tertium est *Goes*, quod solum remansit integrum in Aquilonia parte insulae sita. *Scaldis* fluuij ostio, cui *Scheng* nomen est, alluitur. Huic in Boream *Nortbeuelandia* apponitur, cuius oppidum est *Cortkeene*. Haec pro delitijs